



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quis est effectus baptismi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

baptismus, hæc ipsa uerba significant. **E**st enim sententia, **E**go minister mandato diuino hac ceremonia testor, quòd iam ille **D**eus recipiat te in gratiam, qui est pater, filius, & spiritus sanctus, & sic uult agnosci & inuocari, quòd propter filium te recipiat & spiritu sancto te sanctificet, & sit tibi opitulaturus, & inchoaturus in te nouam & æternam uitam. **I**ta in his uerbis comprehensa est promissio & summa **E**uangelij, et ueri cultus descriptio, quæ disceruit nos à gentibus & **I**udeis, qui non inuocant **D**eum per filium mediatorem, neq; agnoscunt spiritum sanctum. **Q**uare hæc uerba semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus hæc uox **D**ei paciscentis nobiscum, quòd uerè uelit nobis esse **D**eus, uerè uelit filij beneficium & spiritum sanctum nobis imperitari, uerè curet & exaudiat nos. **I**deo **P**etrus dicit, **B**aptismum esse pactum bonæ conscientie erga **D**eum, id est, sic sentientis de **D**eo, quòd uerè nos receperit propter filium, uerè nos iam curet & exaudiat.

### Quis est effectus baptismi?

**P**RORSVS extinguit usum baptismi perniciosa & sanatica opinio plurimorum,  
quæ

quæ imaginatur baptismum tantum esse notam  
 professionis erga homines. **Quare** pij debent  
 esse uigilantes, ne hæc opinio animos eorum  
 occupet. **Statuant** autem econtrà, **Baptismum**  
 esse testimonium uoluntatis **Dei** erga nos, &  
 sic discant uti baptismo erga **Deum**. **Quoties**  
 inuocas, cogita **Deum** testatum esse in bap-  
 tismo, quòd uerè te receperit in gratiam, quòd  
 uerè uelit tibi ignoscere propter filium, uerè  
 uelit te exaudire, uerè uelit te sanctificare spi-  
 ritu sancto. Id testatus est hoc signo, in quo pa-  
 ciscitur nobiscum, se nobis futurum esse **Deum**,  
 saluatorem & opitulatorem. **Atque** ita **Paulus**  
 de baptismo loquitur, cum uocat lauacrum re-  
 generationis, **Quo** dicto clarè testatur, bap-  
 tismum non tantum esse notam professionis co-  
 ram hominibus. **Sunt** igitur effectus baptismi,  
 remissio peccatorum, & donatio spiritus san-  
 cti, sicut testatur **Paulus**, **Ephes. 5.** **Mundans**  
 eam lauacro aque in uerbo uite, ut exhiberet  
 eam gloriosam etc. **Porro** adulti discant exer-  
 cendam esse fidem recordatione baptismi, quia  
 necesse est ad sacramenta fidem addi. **Semper**  
 igitur baptismus debet nobis testimonium esse  
 uoluntatis **Dei** erga nos, quo admoniti creda-  
 mus nos uerè à **Deo** receptos esse, uerè dona-  
 tam

tam esse salutem propter Christum, uerè sanctificari, ac iuari à spiritu sancto.

**Sunt ne infantes baptifandi?**

**R**espondeo, Infantibus baptismum necessarium esse, quia mandatum Christi est uniuersale, Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Ergo etiam infantibus opus est baptismo, ut saluentur. Hec ratio ducta ex uniuersali sententia satis facit pijs, & tenenda est aduersus fanaticos homines, qui improbant baptismum infantium. Sunt & plura argumenta utilia conscientijs.

**Nemo saluatur extra ecclesiam.**

**Infantes aliqui sunt saluandi,**

**Ergo necesse est eos insertos esse ecclesie, & applicari eis primum sacramentum.**

**Maior est manifesta, quia ubi non est uerbum Dei aut sacramentum, ibi non datur spiritus sanctus, quia datur per uerbum & sacramenta.**

**Minor etiam manifesta est, quia Christus clarè pronunciat de infantibus in populo Dei, Non est uoluntas patris, ut pereat unus de par-**

de par-